

3.

DE
FIDE RELIGIOSA
DISSERTATIO,

QUAM

VENIA AMPLISS. FACULTATIS PHILOSOPH.
IN ACAD. IMP. ABOËNS.

PUBLICO EXAMINI MODESTE SUBJICIUNT

Mag. CAROLUS GUSTAVUS OTTELIN

&

HENRICUS GUSTAVUS ZIDIN.

Stipendiarii Publ. Viburgenses.

In Audit. Philos. die XXIII Octobris MDCCCXVI.

b. a. m. s.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.



...dicitur. Et illa causa mea in quodam amicorum intercessione audi-
tum domini questionis simile esse et quod amicorum intercessione
nullatenus manus vestrae subito misericordia regnata est. Quia ardorem
spiritus tuorum, teq[ue] ardorem misericordie tuarum misericordia regnata
est. Inquit. Nonne misericordia misericordie regnata est. Quia ardorem
spiritus tuorum, teq[ue] ardorem misericordie regnata est. Quia ardorem
spiritus tuorum, teq[ue] ardorem misericordie regnata est.

*Wir hätten noch keinen deutlichen Begriff, wenn
wir nicht angefangen hätten dunkel zu fühlen
was wir erst später erkannten.*

FICHTE.

Pueri instar pii, e dilecta abrepti domo paterna, complexu-
que dulci parentum, cujus dolore madentes oculi, cum
in amoena volvuntur Patriæ oram, igne micant, ei haud
absimili, quo fulgent opera nube sidera, sublimia spirans
mortalis, e laeto egressus innocentiae domicilio, per steriles
evagatur & errat reflexionis relativæ campos, ubi spinis cin-
gitur inevitalibus, retibusque constringitur, e quibus semet
expedire nequit, fatalibus. Qua vero voluptate in gremium
revertitur ille maternum, eadem scientiam arripit hic insignem,
primitivam restituere pollicentem integritatem, nihil videns, ni-
hil sectans, nisi summam relativorum omnium in absoluto quo-
dam reconciliationem. Neque vero hocce in studio quiete frui
ei licet placida. Dulcedine nempe, dolorosa pæne, captus
cum in sapientiae tendit templum, omnia uno amplecti avens

obtutu, tot & tam nitentibus, in animum intrare quasi conantibus, circumfunditur luminibus, ut vix unum distincte perspicere valeat eorum, sollicita fere affectus caecitate. Quod quo acerbius est, eo magis laetemur corde, sacra etiam inter simulacra quædam tam micantes referre vultus, ut omnem in se sola adverte jubeant animum. In quibus quin primum occupet locum diva Religio, nullum est dubium. Quæ igitur si prima est juveni in oculis, veritatis studio pio, minime vero arrogantiæ id tribuas L. B. Probe enim scimus esse rem, quam heic tractare instituimus, tam arduam explicatique difficultem, ut inter sacram & faxum stetisse censendus sit, quicumque ad eam explicandam impenderit laborem. Quid? quod operam & oleum perdidisse forsan existimabimur ipsis, nostram ubi proposuimus fidei religiosæ explicationem. Neque vero hoc animum absterrere valuit juvenilem, quin eundem potius excitavit, ea nixum spe, fore, ut quæ minus videantur perfecta atque absoluta, ea ineuntis ætatis inscitæ tribuat, qui arduum apud se pensitaverit inceptum, rerum harum arbiter æquus, re ipsa divina integra manente. Accedit huc, quod fidem a scientia non satis distinxerint, neque tam illam quam hanc ante oculos habuerint, summi illi quidem recentioris ætatis Philosophi, qui persuasionem examinarint religiosam; immo vero scientiam ipsam fidem videmus appellatam a). Fidem igitur si illustrare valuerimus, nos non frustra laborasse nobis gratulabimur.

Fidem vero explicaturis religiosam ante omnia sane endanda est illius persuasionis generis, quod fidei fert nomen, in universum sumti, indoles, cuius definita atque circumscripta vi, in *religiosa fide* explicanda expeditior nobis erit

a) Vide ex. gr. SCHAD *Gemeinfassliche Darstellung des Fichteschen Systems*, Erfurt 1802. 3:ter Band, p. 127.

via, certosque habebit opusculum fines, ne in vanum vagumque delabi videamur opinionum turbinem. Id quod eo majorē acrioremque in se confumendam postulat diligentiam, quo incertius magisque indistincte explicata sit fides a plerisque, qui, quantum nobis est notum, hac in re operam posuerunt b). Quod antequam adgredimur, definienda videtur ipsa persuasio. In universum igitur nihil significat, nisi vinculum illud, quo in mente adnectitur notio suo objecto, vel notionis per Reflectentem effectam relationem ad fundamentum, quod efficit, ut habeat eadem certi aliquid, sitque, ut loquuntur, repræsentatio objectiva; quodque impedit, quominus in vastam vanamque delabatur figuratorum voraginem. Unde facile est perspectu, pro varietate relationis hujusce illam etiam esse variam.

- b) Quod negligentiae simulacrum quin maximam partem ex vago pendeat & profectum sit contemplandi loco, unde rem conspicerint plerique, totoque, cui quisque deditus fuerit, systemate, nulli dubitamus; neque enim rem acutanget, nisi qui eam, undique collustrata in, studiose fuerit dimensus: dilucet quoque, quod rem perverterit ipsam nimia verbis ad notionem, iisdem obtrusam, utendi sedulitas, cum omnis eorum abierit genuina significatio. Quod fideli etiam KANTII interpreti MELLIN & aliis (ut jam antea ostendit insignis Nostras GABR ISR. HARTMAN, vide Dissert: *De tribus gradibus persuasionis*) in vocabulo fidei usurpando accidisse, eo magis dolendum, quo pertinacius faveatur summi viri etiam sectatoribus. Neque usquam, excepto subtili illo libro: *Differentz des Fichteschen und Schellingschen Philosophie von HEGEL*, p. 31 & 38, ubi tamen parciori illustratur lumine, & locis quibusdam in operibus Sublimis HOIJER, rem hanc distincte & vere tractatam nobis contigit invenire.

/a

Omnis igitur repræsentatio, antequam reflexionis relativæ vi (quæ quidem ea est, ut discernantur, sibique, tanquam extraria, opponantur cohærentia omnia, quo denuo motu & vita, quam habet reflexio in semet ipsa, reconcilientur) tanquam singularis oritur, objecto suo, immo atiis repræsentationibus opposita, existat quodam modo, necesse est, cum objecto suo conglutinata atque contexta; quæ igitur unio, sub quocumque demum veniat nomine, sive intuitus vulgaris, sive pulchri subjective sunt, & quæ sunt ceteræ expressiones subjectivæ absolutæ identitatis, id ipsum est, in quo fundamentum ponatur proximum & immediatum cognitionis. Dissoluto vero, oppositione reflexionis relativæ, & dirupto primitivo hocce organismos, dissipatis atque dispersis membris ejusdem, in recessum jam quidem abit ipsum vinculum, quo adnectebantur notiones & objectis & sibi invicem; neque tamen minus etiam nunc suam exserit idem salubrem vim, inscios & invitatos sæpe nosmet ad summam regens atque excitans unitatem, unde effloruit efflorescetque semper certitudo. Hæcce igitur copula atque absoluti forma si ita est abscondita, ut in potentia tantum adsit Reflexioni (quæ ipsa identitas est summa, ex oppositis, quæ ipsa continet, soluta), fidei fert nomen ipsa persuasio; quæ ergo relatio notionis est ad absolutum fundamentum non cognitum nec quæsumum quidem. In relativorum igitur oppositione valet, reflexione orta, & cæca oppositorum unione effecta, fides, mysteriique habet quiddam & subjectivi, quæ ipsa ejusdem proprietas falsam genuit eam sententiam, fidei donari posse nomine vagam de ñis opinionem, quorum solummodo optamus

e) Vide, qui certe præsto sunt libri: *Kants Kritik af renæ fænomenet, utgifven af Jøh. SCHULZE. Öfvers. Lund 1799.*

realitatem c); id quod ita est absonum, ut omnem evertat si-
dei sanam vim atque significationem, quippe cui inest, ut si-
mam nulloque dubio contaminatam semet præbeat semper. Ita
cum cæca sit prima omnis notitia, non potest Reflectens, cuius,
cum reflexio nihil sit nisi Absoluta essentia in semet conversa, ea
est natura ut harmoniam in se revelatam ipse habeat seu perspiciat,
quin huncce deserat certitudinis immediatae statum. Lucem vero
jam appetens, eandem ipsis in notionibus quærere cogitur, cum
ex semet ipso egredi non poscit, neque, exceptis notionibus,
quidpiam habeat, quod proprium sit. Ita jam notionum in
campo organismum stabilire conatur mediatum, qui immediati,
quem jam deseruit, occupet locum; et hujus enucleandi jam
munere fungens, relativam ipsam perficit reflexionem. Hæc
igitur principiis precario assumitis, tamquam ultimis, necesse
est, semper nitatur; quare quoisque progressa fuerit per-
fectionis, totum tamen est ædificium fide fundatum. Neque
autem notitiæ sibi met ipsi sufficientis non mentitur personam
cognitionum hæcce series subjectiva, quoad perfecta sibique
congruens videtur Reflectenti. Verum tamen vero differen-
tiā facit has inter cognitiones Reflectens. Cujus igitur cogni-
tionis nullam dare potest rationem objectivam, eam fidem appellat
& vere; quam vero tamen habet mancam & imperfectam, ut in eam
& fundandam & evertendam rationes afferre queat valentes, de
ea vel dubitat vel opinatur: illud, si neutra dejicitur pars tru-

pag. 181, Lærobek i Logiken af KIESEWETTER, Övers.
Abo 1806, p. 102. Neque vero non antea fuit observa-
tum, quod nos supra attulimus, quin idem confirmat ipse
CEL: KANTIUS Kritik der Præctischen Vernunft. Riga 1797,
p. 259, Not.). Conf. ulterius Not. nostram a), nec non
Philosophische Schriften von E. W. J. SCHELLING, Erster
Theil, p. 236.

tinæ: hoc, si deprimunt lancem alterutram quæ ibi sunt argumenta; quod autem tam habet lustratum atque exploratum, ut idem undique definire atque circumscribere semet valere credat, id se jam *scire* gloriatur. Cum vero ipsis in principiis, fide hoc in statu fundatis, (pro eorum e summa identitate, ut supra commemoravimus, eruptione atque vita solitaria & opposita), tanta lateat discordia, ut unitatem, quam cognitionem suam habere autumat Reflectens, admittere nequeat; hæcce primum componenda & funditus tollenda est lis, antequam revera adesse potest organismus cognitionum; quod si minus prospere succedit inceptum, ut secundus sit nodus non solutus, *absoluta* oritur vel *sepsis* vel *opinio*; quod igitur postremum persuasionis genus in relatione est notionis ad fundamentum jam quæsum, eamque ob caussam ad partem saltim patefactum. Tum jam fidem esse eversam, vel inde patet, quod adsit vinculum, de quo supra diximus, Reflectenti, tamquam problema, teneaturque quodammodo saltim, quamvis adhuc non enucleatum. Neque vero quiescere potest Reflexio, quin repugnantiis acrius acriusque explicandis atque sibi invicem infestis tollendis, eo usque demum veniat, ut semet ipsam antinomia perstrictam videat atque ligatam indissolubili; quare in semet ipsam, cœu fontem cognitionum, revertatur, opus est, quo inde divergentium etiam rivulorum videat originem. Unitas enim est Reflexio, & summa, se ipsam oppositione tollenda revelandi & exponendi studiosa; quare in antinomia enexplicabili manere non potest, postquam eam sibi habeat revelatam, quin eandam tollere & ambo membra ejusdem eadem ponere cogitur. Hoc igitur si factum est, rationem habet Reflectens omnium summam, & refugium sacrum, ut a ratione ad rationem errare non amplius ei sit opus, sed ut posit omnes uno amplecti obtutu, atque ita cuivis, sibi constans, attentionem tribuere suam. Sic vero jam utpote relativa perit reflexio & in *speculationem* evehitur; quæ ipsa nihil est, nisi operatio & actio Absoluti illius Esse, in semet ipsum reflexi, identitatem tenens;

qua re a relativa distinguitur reflexione, quæ etiam actio erat Absoluti illius Esse in se conversi, sed oppositionem tenens atque indifferentiam solummodo sectans & exponens, neque sibi clara & fixa. Hanc speculationem, si originitus solummodo neque adhuc exposita adsit, intuitum appellari intellectualem; si vero ipso manifestetur actu, constructionem esse philosophicam, & si sibi ipsi figatur, Logicam constituere transcendentalē, nominasse forsan interest. Quod jam hoc intuitu nixi, per hanc constructionem cognoscimus & perspicimus, id scimus; quare si hinc in singulares cognitiones radii emittuntur lumenis, eæ etiam ad scientiæ perducuntur gradum. Scientiam igitur relationem esse notionis ad fundamentum supra commemoratum primum, quod in immediata est notionis & objecti unione, tamquam cognitum & expositum d), perspicue patet. Sed hæc haec tenus.

§. 2.

Religiosa igitur de fide cum loquimur, in nobis met ipsis quoddam assumimus, quod hujus persuasionis, nobis quamvis insciis, sit quasi matrix & fulcimen, quo evanescente fides emortua perit atque vana sit persuasionis ostentatio. Hocce igitur, quodcumque sit, primæ cuivis ideæ religiosæ certitudinem vindicat & objectivitatem, eandem cum objecto suo conjungens. Quid vero illud est? Quo nititur ipsum fundamento, vel quam habet necessitatem? Quomodo in illo continentur,

- d) Potest quidem pars ejusdem fundamenti jam antea Reflectedi adesse, tamquam manifestata, quam ad summum proiecta fuerit Reflexio fastigium; sic ex gr. intuitus a pluribus enuntiatus, sic apperceptio originaria KANTIJ, eadem hæcce est essentiæ & reflexionis unitas, sed adhuc non plena.

atque inde oriuntur idæ hæ? Quæ adest securitas illud non factitium esse ineptiarum studium? Quod datum homini pignus has non vaga esse atque fluxa phantasiæ simulacula & umbras? Et qualis harum character verus? Hæc, quæ jam enucleanda nobis sunt, antequam fuerint ad vivum resecta, nullus preсто erit fidei clypeus, quo a se sagittas abstinere queat scepticismi, nulla norma, quæ impedit, quominus in mysticisnum abeat Religio prodigiosum vel superstitionem abnormem. At inveniri hæc non possunt, sed pendent omnia a traditione! Certum quidem est a prima inde infantia notionibus hanc ad rem pertinentibus, quibusdam saltim, imbutum esse quemvis, quibus non potest quin pretium addat sacrum eorum, quos magni habemus, auctoritas, pietasque atque veneratio cani parentis; certum etiam est, necesse esse, ut ab ipso Deo temporis in evolutione revelentur e) summæ idæ de Eo & Mundo, quibus confidere possimus; neque vero est quod dubitemus, quin in ipsa cujusque natura aliquid sit, quod his omnibus fundamentum ponat firmum atque ruendi nescium. Tale quoddam adesse testatur vivus ille atque ardens amor, quo amplectitur innocentissimus quisque, ineruditus quamvis sit, quæcumque his in rebus proferantur opiniones, & quo erga Summum harum Objectum ipse acceditur; ut vere dicat CICERO: *Quæ est gens, aut quod genus hominum, quod non habeat*

fine

- e) Hocce etiam philosophice perspici pro certo non possumus non habere. Cujus rei declarandæ quod jam factum est initium (Vide *Vorlesungen über die Methode des Akademischen Studium von F. W. J. SCHELLING*, Stuttgart und Tübingen 1813: Achte Vorlesung) spem afferat laetam existus prosperi. Conf. *Studien von DAUB und CREUTZER*, X Band, Heidelberg 1809, *Vom Dogmatismus.*

sine doctrina anticipationem quandam Deorum f). In Ratione esse hocce fundamentum ideæ Dei & rerum divinarum jamdiu est enuntiatum. Neque id negamus, cum idem potius pro certissimo habeamus; sed quomodo? de eo est sermo. Neque vero concedere possumus fundamentum hocce in inferiori reflexionis loco non alio occurere modo, quam si sibi patefacta sit Ratio. Ibi enim id efficit, quod primam porrigit ad Religionis ideas amplectendas ansam; heic vero ideas hasce nobis ipsis scientibus firmas reddit atque claras. Id enim si ita se non haberet, fides esset nulla, cum, quod Ratione nitaratur sibi ipsi clara, id fundamento fultum esse nequeat non cognito nec quæsito quidem (Conf. supr. §. 1). Quodcumque igitur sit illud fulcimen, id necessario adesse anticipare possumus, fidemque, quæ persuasio est eo ignoto nixa, cuivis homini esse firmam et sanctam. Cum vero perspicuum sit, eas, quæ hinc orientnr, Religionis ideas mancas evadere posse atque vagas, immo etiam falsas, nulla cum dirigantur regula certa; (quamvis quidem, ut ex sequentibus forsan elucebit, veræ esse possint, solius fidei opera), humano gratulemur ingenio, quod scientiam semper quæsierit religiosam, sola fide non contentum. Quæ scientia quin nostro ævo jam satis sit clara, dubitare non possumus g).

- f) *De Natura Deorum: I: 16.* Conf. SCHAD op. cit, p. 371;
ubi hæc occurunt verba: "Der Mensch ist nothwendig schon religiös, noch ehe Er zum reflectirten Bewusstseyndes religiösen Gefühles kommt.
'Mit dem ersten Acte des Bewusstseyns ist schon nothwendig das gesetzt, was als der Grund aller Religion angesehen werden muss:'"
- g) Hac de scientia cum in dissertatione nostra profusius

§. 3.

Fundamentum igitur illud Religionis in homine construione, si non plena atque perfecta, quod quidem vetat opusculi angustia, attamen lineas ducente primas, exquirendum nobis est, quo deinde vim videamus fidei, eodem fultæ.

Ut ergo consistere potest nihil certo habitu vel forma instructum, existentiae singulari in tempore gaudens, nisi quod duabus, sibimet invicem oppositis contineatur atque cohibeatur viribus, quarum in pugna sit reapse & faciem habeat quandam; ita neque homo, si interiorem ejusdem consideres naturam, utpote phænomenon aliud est quodpiam, quam simulacrum pugnæ cuiusdam virium, sive actionum, sibimet oppositarum, vel ipsa hæcce pugna fixa atque constans; eodem ferme modo, quo vertex quisque varias secum dimicantes exprimit vires, aquam indefinenter volventes. Unde vero vires hæ, & quæ illæ? Hoc evolvamus, cum in iis, ut-

disserendi nulla nobis sit occasio, id heic cautum volumus, ne putet quis nosmet verum illud: γιορκει τον Θεον ἐν τῇ σοφίᾳ του Θεού in iis solum ponere, quæ ex postulatis sequuntur practicis Criticismi; quippe de quibus ipsis valent, quæ eximie disputantur in *Studien* supr. cit. p. 186. "Dadurch nun, dass man — die praktische Vernunft einen Glauben an das Seyn Gottes postulieren lässt, oder Ihn zu einer nothwendigen Hypothese der Practischen Vernunft macht, ist der Glaube an Gott selbst und der Grund desselben nicht verstanden noch erkannt, denn ein solches postulat ist unmöglich, ohne dass der Glaube selbst, dessen nothwendigkeit postulirt wird, vorausgesetzt würde,"

pote summis enucleandis, certe etiam perspicuum fiat funda-
mentum illud.

Ex summo atque ultimo omnium principio, *Subjecto-objecto*-ob-
jecto absoluto, si egredimur, *objecto-subjecta* & *subjecto-objecto*-ob-
jecta habemus singularia, quibus in ipsiis sese revelari illud,
quo sibi sit clarum h); que eadem igitur sunt absoluta vel
in se. In se vero revera esse nequeunt, nisi sint atque ha-
reant in summo illo omnium centro. *Subjecto-objecta* vero,
quoniam ipsa distingvere possint *subjectivum* ab *objectivo* at-
que sua in ditione ambarum habeant unitatem atque naturam,
centrum deferere possunt, quo sint solummodo in se a Cen-
tro alienata. Hoc vero, si sit, alio non perfici potest modo,
nisi singularem, ab unitate centri diversam, assumant dignita-
tum suarum unitatem. Hæc jam actio, *superbia* seu *arrogantia*
jure nominanda, dignitatem primum afficiat, necesse est, sub-
jectivam, tanquam interiorem atque alteram continentem i).
Cum tamen necesse sit, ut in *objectiva* etiam dignitate occurrat
hæcce natura, jam divellitur potentia *subjecto-objecti* hujuscce
objectiva a potentia *subjectiva*, sitque relativa, atque, quoniam
in absoluto amplius non haeret *objecto-subjecto*, aliis potentiis
opposita & repugnans. *Objectiva* igitur potentia sic desi-
nita in organismum mutatur singularem, aliis organismis op-
positum k).

h) Monuisse forsan juvat, *Subjecto-objectum* hocce, utpote
revelatum & in semet conversum, *Deum esse*, ne per am-
phiboliam *Deum* confundat quis cum absoluto principio
logico.

i) Conf. Dissert: *De systemate*, Præside B. C. H. Höijer,
Upsaliæ 1812 editam.

k) Conf. *System des Transcendentalen Idealismus*, von F.

Obvenire vero debet etiam potentia subjectiva a summo Subjecto-objecto diversa atque relativa. Hanc igitur in Intellectus organismo expressam habemus. Hinc contraria relativorum in campo realia & idealia; quæ idealia una sumta vel in summam redacta, atque ad organismum relata objectivum, unitatem constituant, ad quam omnia, ut instrumenta ad finem referuntur. Qua in unitate, qualis prima est, characterem ponendum esse hominis originarium, quem retinendi vehementissimo tendit impetu, attigisse forsan interest. Cum vero ad hanc non semper plene accommodata maneat dignitas objectiva, utpote ab aliis objectivis, pro mutuo earum commercio, pendens; hinc copula quædam necessaria est, qua adjungatur hæc illi: quæ copula voluntas cæca seu propensio audit. Unde perspicuum est, ex ea, quæ heic commemoratur, voluntate hominis originaria, vi centrifugæ haud absimili, malum originem ducere hominis originarium 1). Hæcce vero dignitatis subjectivæ atque objectivæ unitas & conjunctio, qua continetur vita hominis in se, cum relativa sit, fieri non potest, quin quodammodo occurrat absoluta vita in se; aliter enim neque ilam observaret. Reflectens, cum nihil sciamus nisi oppositione.

W. Jos. SCHELLING, Tübingen 1800, usque ad pag. 276. Qua in doctrina, eximia constructionis arte conscripta, quæ occurrit "die dritte Beschränkheit" ea est, cuius efficit partem illa, quam heic commemoravimus, singularis sponte constituta unitas; de quo si testis afferendus est locutus quidam, ad pag. 160 lib. c. Lectorem delegamus.

1) Conf KANT *Religion innerhalb der Gränzen der blossen Vernunft*, Königsberg 1794. Art. vom ursprünglichen Bösen; nec non: *Kritik der praktischen Vernunft*, Riga 1797, pag. 170, seqq. inprimis 179.

Cum vero relativa fieri haec non posse, adesse nequit, nisi utpote relativae illae opposita. Per conscientiam igitur, cuius ipsa est radix, Reflectenti semet manifestat, nostro jam ævo opera immortali, KANTII, FICHTII cet: in lege morali distingue expressa. At vero, cum vita laudata cuiusque subjecto-objecti, sit non solum vita in se, sed etiam vita in centro; cumque illa divulsa sit & separata ab hacce & in se manifestata, eidem opposita occurrat, necesse est, vita in centro. Haecce igitur contentio quædam est, in vi centripetalii corporum cœlestium imaginem quandam habens sui, vel studium & nisus limitem deserendi, atque in absolutum abeundi, *sensio* (Empfindung) in universum externa nominata. Hoc idem vel sequenti perspici potest modo: Cum jam adesse debeat voluntas singularis, utpote absolute illi opposita, necesse est, teneatur voluntas reflexione, quia aliter nec opponitur, nec adest Reflectenti. Si vero tenetur, non potest teneri nisi utpote nisus limitem tollendi. Adesse igitur debet limes hicce. Neque vero aliter adesse potest, nisi adsit actio Intelligentis eundem deserere conans, quæ igitur, tamquam primordium repræsentationis, *sensio* est. Quam deductionem si cum superiori comparatam habere velis, ecce heic periculum! Vita in Deo absoluta nihil est aliud quam actio centripetalis, vel omnium ab Eo positorum limitum translatio ad Eum; est igitur studium limitem deserendi & secum transferendi, vel limitis observatio, tamquam limitis a Deo statuti, subjecto objecto congrui: quæ si relativa fit, limitem continet tamquam subjecto-objecto repugnantem.

§. 4.

Ex qua vero ratione copula illa e subjectiva dignitate in objectivam abiens, de qua supra diximus, non potuit non & relativa esse absoluta; ex eadem contentio etiam haec, finita est & infinita; quare consistat atque existentiam adipiscatur necesse sit; id quod alio non fieri potest modo, nisi ita evolyatur dignitas subjectiva, ut illi respondeat, qui adest, limiti, quod

fit, si oritur *repræsentatio*. Hac igitur nascente & genita, *in sensum* (Gefühl) mutata vivit sensio m). Hic jam sensus non potest non, pro varietate limitis, in sensus dissolvi singulares, qui ipsi pro varietate characteris, quippe qui cuique eorum certam, sibi convenientem, imprimet notam, in diversis hominibus variis sunt. Ex hisce sensibus in voluntatem jam transitus fieri debet. Cum vero liber sit homo, atque temporis momento quovis unitatem illam, semel sponte sumtam (vid §. 3), in sua habeat ditione, fieri non potest, ut mechanice abeat sensus per repræsentationem in voluntatem; quoniam ita neque adesset voluntas libera sed appetitus tantummodo, ut in brutis. Quare habeat, necesse est, atque teneat ipsam hancce repræsentationem Intelligens, quo inde voluntatem sua sponte ipse dirigat n). Hoc jam eo fit modo, si oritur *notio*, quippe quæ intuitus, sive repræsentationis immediatæ, limitem continet, atque ita in dignitate subiectiva objecto respondet. Hac vero orta sensus etiam fixus est et individualis. Cum vero hicce sensus relativa solummodo effigies sit vitæ in centro degendæ, eidem opposita occurrat, oportet, absolutæ illius, relativam numquam induere valentis consistentiam, significatio quædam, sensus etiam jure nominanda. Qui vero non nisi tamquam singularibus sensibus oppositus semet Reflectenti manifestat o), in gemitu solummodo profundo interdum semet effundens. Hic ita es

m) Conf. KANT *Kritik der Urtheilskraft*, Dritte Auflage, Berlin 1799, imprimis pag. 8, 9.

n) Conf. om den philosophiska Constructionen, af BENJ. CARL H. HÖIJER. Upsala 1799, p. 129 seqq.

o) Conf. om förhållandet mellan Religion och Moralitet. Upsala 1812; nec non: Reden über die Religion. Berl. 1806, pp. 7 & 29 &c.

necessarius, ut absque illo ne observaret quidem Reflectens sensus suos, cum nihil habeat, quod cuique opponat. Quo igitur modo vita in se absoluta conscientiae ope manifestata *Moralitatis* constituit fundamentum, atque id, quo ntititur idea nostri ipsius; eodem porrigit vita in Deo æterna, sensu hoc patefacta, *Religionis* fundamentum & id, quo fulciuntur idæ Dei & nostri ~~et~~ *Eo commercii*, tamquam *fides religiosa* spectatæ, unde *sensus religiosus* jure nominatur. Qui cum præsto sit temporis momento quovis, facile patet negotio, neminem eas abnegare posse, quæcunque eo fundentur, atque inde necessario oriantur notiones vel idæ. Cum vero & vita in Centro & vita in se sic in duplicitatem abierint ambæ, occurrat adhuc utraque in unitate, necesse est. Hæ jam unitates, ex altera parte *sensio interna*, ex altera *voluntas libera* directiones sunt eæ, quarum in pugna existit homo. Directionibus igitur ambæ, quarum altera centrifugalis est, altera centripetalis, hoc modo explicatis, atque soluto problemate *nobis* proposito, fundamentum etiam cognoscimus fidei religiosæ.

§. 5.

Jam vero, quomodo sensui huic insint atque inde oriantur idæ Religionis, in disquisitionem venit, quo earum videamus naturam. Hac vero in instituenda hominem assumimus omnium alienarum sententiarum dissortem, sibi soli relictum,

In notione igitur eruenda (quæ ita oritur, si ex sensione, utpote limitem continente, evolvitur), atque elaboranda, quæ versatur reflexio relativa, quoddam extra hominem præsupponit, quod cognoscatur, id est cuius limites in se habeat descriptos; atque ita objectum ponitur. Quo vero modo ex sensione singulari oritur objectum singulare; eodem ex sensione, ut ita dicam, infinita, eidem opposita, objectum enascitur quoddam, quod nullibi adfit, quamvis singulare quodvis adsequatur, vel quod simul cum eo sit atque vim habeat, tamquam eidem oppositum. Hocce objectum DEUM esse ex superioribus (vid Not. i) perspicue patet. Cum igitur con-

tentio hæcce absoluta vel sensio infinita perire nequeat, quia fensioni cuivis singulari opposita est, dubitare valet nemo de existentia Dei; quæ vero non tam existentia est quam potius præsentia extra tempus & simul cum tempore posita; unde si interrogatur quis ineruditus, quomodo sciat Deum esse, is certe *"conspice universum"* simpliciter respondebit, nec perperam. Quantumvis igitur oblcure adsit summum Numen, sive cum mundo conglutinatum, sive inde liberum, adest tamen; & qui Idem ita ponit homo, fensionem hancce non magis, quam sensum inde oriundum, defendere & explicare valens, is *fide* Deum tenet, quoniam fundamenti persuasionis suæ ipse est nescius p). Neque vero his duobus objectis (Deo & objecto singulari vel mundo), tamquam

p) Hinc etiam Cel. KANT suam persuasionem religiosam fidem jure appellat; neque enim fundamentum ipsum, quo nitebatur persuasio ipsius de Deo, noverat, quamvis in scriptis ejus enucleatum videatur. Cognitum enim esse nequit, nisi adsit scientia religiosa, sed hanc negat Ille. Quod quo clarius fiat & quo innotescat vis postulati illius practici, existentiam Dei, sive *to Esse* Illius, requirentis, paullo diutius huic rei immoremus. Nihil igitur sunt argumenta pro Deo probando adhibita (Si ontologicum, quale opera Cartésii factum est, exceperis) nisi disquisitiones qualitatum Dei; pulchre enim ANSELMUS de ontologico illo, quo, in vera ejusdem dignitate, ipse utebatur: *Erst muss man wissen dass etwas sey, dann erst kann man untersuchen was es sey; so muss man erst an Gott glauben, ehe man untersucht was Er sey.* (TENNEMAN Geschichte der Philosophie, 8 Band, p. 179), id quod ipse urget KANTIUS, cum existentiam Dei ex idea Dei frustra esse eliciendam ostendat. Neque vero Morale illud, cui tamen, respectu puritatis idearum religiosarum, præ ceteris

quam diversis contentus esse potest Intelligens. Cum enim semet ipsum non possit non observare, tamquam objecto cuivis oppo-

deferenda est palma, excipere valemus. In quo neque KANTIUS fundamentum ipsum fidei religiosæ enucleavit, quin id potius falso enuntiat, cum in lege morali idem situm habeat; quod infra patebit. Deum igitur existere inde concludit Celeberimus Vir, quoniam non aliter addesset summum bonum homini morali (Vid. *Kritik der praktischen Vernunft*, p. 223, seqq. nec non: *Religion innerhalb der Gränzen der blossen Vernunft*. Vorrede p. ix seqq. atque in primis p. 141). Continet vero summum bonum Moralitatem & felicitatem. Illa objectum suum jam habet in actionibus (vid. *Kritik der Prächt. Vern.* p. 100), quarum possilitas libera voluntas. Felicitas igitur esset, cuius possilitas Deum assumere cogeret. Unde autem hujus necessitas? Minime vero gentium ex lege sequitur morali, quæ omnem felicitatis respectum respuit, susque deque ferens adsitne, necne. Quare neque ex lege derivari potest morali, quod tamen pluribus locis contendit Vir Celeberimus (Vid. ex. gr. Lib. cit p. 223), existentia Dei; id quod vel inde patet, quod Ipse is, si sese ita haberet res, dicere nequivisset, suam de Deo persuasionem fidem esse. Quod enim ex lege sequitur morali, de eo eandem habemus persuasionem, quam de lege ipsa sovemus; sic neque nominavit Vir laudatus suam de libertate humana persuasionem fidem, cum ex lege derivetur morali, de qua scientiam se habere dixit. Quod si ita comparata est res, & cum sit felicitas sensuum omnium harmonia, sive is sensus, qui oritur, cum omnia meis convenire videam scopis; perspicuum est, originem atque fundamen-

fitum & libere agentem (§ 3), se etiam tertium ponit, neque e Deo neque mundo necessario pendentem, sed sibi ipse sufficientem. Hinc necessaria nuper nominatae reflexioni existentia Dei, Mundi & Hominis ipsius, quorum neminem neget Reflectens, nisi ipsam denegare velit reflexionem, quæ ex mutua horum oppositione vivit & alimentum fugit q).

tum idææ divinæ non in lège morali, sed in contentione supra laudata infinita, quippe quæ, utpote sensus, omnium sensuum requirit harmoniam, esse querendum. Hac igitur contentione explicata, id etiam enucleatum credimus, quod in postulato pratico non perfectum habet Author Articuli ex Studien supra citati. Sed hoc eam solummodo ob causam attulimus, quo clarior fiat res, & quopateat nos non absque ratione a Summo Viro hac in re explicanda discessisse.

¶) At cum pereundum sit reflexioni relativæ, in speculazione tolluntur & Deus et Subiectum! Dolendum quidem est, rem ita fuisse intellectam & expositam; neque vero quidpiam a vero magis abhorrire potest, ut ex §. 3 forsan ipse colliget veritatis amans quisque. Ita enim manet secura hac in speculazione realitas Dei & Subiecti, ut ambo personalitate gaudeant propria, Is nempe tali, ut nulla comprehendi possit perfectior, cum nihil velle queat; quod non sit optimum, nihil scire quod non sit verissimum, et quæ sunt cetera sacra; Hoc vero ea, ut suæ sit ditionis, atque totum in se, neque tamen revera in se nisi maneat Deo deditum. Quare cum ab Eo sit lapsus, invitum ligatur atque coercetur vinculis aheneis; neque tamen minus etiamnum libertate gaudet. Harmoniam vero videt speculatio hæcce claram necessitatis & libertatis, cum necessitas ei sit libertas ipsissima;

Quamvis vero sic ponat Reflectens hæcce tria nuper laudata objecta, quasi sibi opposita, ipsa tamen sua natura, vel potius eo, qui inter sensum illum infinitum & sensum quemvis singularem est, nexus (qui in eo consistit, ut coalefacat hic cum illo), eorum assumere cogitur unitatem quandam & harmoniam, qua in enodanda ipsa versatur, eodem ferme modo, quo Sisyphus iste in volvendo lapide. Et hinc jam notiones religiose; quæ quales sint inde pendet, qualis sit homo ipse. Quamvis vero character ejus in voluntate semet exprimat, non nisi mediate hinc pendent notiones religiosæ, cum administratio voluntatis non sciamus. Ex sensibus vero, qui ipsi a charactere pendent, proprius proficiuntur et deduci potest indoles ac vis notionum harumce, cum in sensu expressa sit relatio hominis ad Universum & Deum, & sensus ipse una cum notione dignatur. In sensu igitur ipso vivunt atque existentiam habent notiones hæ; in eo relatio Universi per hominem ad Deum exprimitur; is notionum religiosarum matrix & conditio, eadem ferme ex ratione, qua requiritur sensus pulchri quo existat; existat autem? immo vero quo moveatur contemplatio pulchri. In sensu igitur est *Religio* subjective sumta.

In sensibus igitur si nihil est nisi vis contra limitem nostri ipsius luctans; id est: si in mundo nihil videt homo, nisi mechanismum, quo alterum phænomenon alterum excipit, nihil ei est Deus nisi ipsa necessitas cœca, cuius effigies in Universo *Fatum* audit. Cum vero non posit homo, quin proprias suas observet actiones, quæ ipsæ in mundo existunt, tanquam a libero protectas arbitrio, libertatis etiam speciem saltim & umbram Numini tribuit summo, quæ vero libertas non est nisi liberum arbitrium exlex. Hinc morositas Dei, hinc Dii humanis laborantes vitiis. Hac in conditione & statu hominis, qui ita adeat, si propensityibus solummodo satisfacit suis, cum non adsit harmonia sensuum, quippe quæ existere non potest,

nisi mutata sit unitas illa subjectiva, seu character hominis, & cum eorum tamen aveat unitatem quandam, sensu supra laudato religioso ductus; sensu laborat incerto inter timorem & spem vacillante, qui hoc loco Religionem constituit subjective sumtam. Neque igitur Religio hæcce vera, neque persuasio descripta religiosa nisi superstitionis. Cum vero non possit Reflectens, quin legem cito observet moralem, quæ omnes omnino improbat scopos subjectivos, obseruantiamque in se excitat fugiendi nesciam; cumque hac ex ratione disharmoniam in semet ipso, utpote sentiente, habeat apertiorum magisque enucleatam, cuius unitas ab altera parte sanctitate efficitur, ab altera felicitate, has jam Deo tribuit, utpote disharmoniæ cujusvis experti; fundatur enim Deus ipsi sensione infinita, limitem quemvis tollente. Hic jam purior quidem fit idea Ejusdem, enasciturque personalitas Ejus; neque tamen adhuc vera evadit & perfecta, cum non adsit reflexioni vera Ejusdem relatio ad Universum, quæ quominus observetur, a disharmonia in homine impeditur. Neque enim animadverti potest, quum sensu in Deo non hæreat homo; quin altero momento est Deus verus, altero morositate odiosa contaminatus. Neque igitur huc usque est persuasio religiosa nisi superstitionis; neque Religio subjective sumta nisi timor, qui in contentione est limitem tollendi, in actionem & tollendi actum non abiens, sed in evitandi potius studium semet permutans. Hinc efficitur, ut quoisque maneat disharmonia in homine, neque genuino tollatur modo, legi scilicet obtemperando, non possit homo, quin aliis modis, alienis iisdem, atque hoc respectu flocci habendis, eadem semet liberare satagit. Hinc, quod in ritibus variis, veræ religiositatis fructibus illis quidem pulcherrimis, sed hec contemnendis, suam quærunt multi salutem unicam; hinc, quod in Universo non tam providentiam vident quam fatum. Characteris vero commutatio si facta est, harmoniam, quod ad sensus etiam attinet, in se habet homo. Heic jam in sanctum

jussumque Deum amore accenditur & ardet vivo atque vero;
quid enim amor, nisi sensus, quo cum altero quasi unum eva-
dimus? Heic devotione gaudet summa & dulci confidentia.
Heic demum Religione sive Religiositate fruitur vera, seu
pietate, quae hilaritate absolvitur & dolore profundo (*vemod.*)
Heic notiones religiosæ genuinæ, cum in omnibus, quæ fiant,
digitum videat Dei sancti; limes enim sensonis quisvis divi-
num exprimit essentiam. Heic ita comparatus est homo,
ut, quamvis optimis saepè se videat scopis suis excidere, nul-
lo tamen turbetur modo; quin etiam pro certissimo habeat,
fore, ut, in tota eventuum serie fructum latræ sint actiones
sue maturum & uberem. Quovis, igitur temporis momento
adest sensus divinus, quasi particula vitæ in Deo manentis;
cum quaque objecti cuiusdam contemplatione conjuncta est
contemplatio Dei, quæ ipsius objecti quasi naturam ostendit.

Cum vero nihil ~~&~~ omnis contrarium legi semet videat homo
laudatus, ut hæc laborans vita relativa eidem perfecte &
plene congruus esse & satisfacere posse numquam; cumque hac
ex ratione etiam disharmoniam quamdam sensuum semper reti-
neat, pro certissimo habet, se, cum vinculis solitus sit hisce
relativis, sive autonomicum illud Ego, tamen posse eidem in
alia vita fieri congruum, atque ita felicitate fructurum esse
absoluta; id quod sensu religioso, harmoniam requirente per-
fectam assumere cogitur.

Credit igitur homo talis Deum sanctissimum & per-
fæctissimum esse seu existere; credit omnia in mundo ad
optimam dirigi metam; credit totum Universum boni Dei esse
revelandi actum: quare neque dubitat tamquam divina affu-
mere quæcumque occurrant: ubique signa videt & miracula;
credit vero etiam semet ipsum magis magisque fieri posse
perfectum, atque vita olim fructurum esse placidiori; credit se
semper esse mansurum & in hac fide vivit. Hæc igitur quo
existat fides, nihil querit scientiæ, nullam postulat eruditio-
rem, sed cor solummodo purum, cuius ipsa efficit pietatem
(*Fromhet*).

Hicce jam in Deum amor & confidentia, hæc cum illo & Universo harmonia, in vitam æternam demum abitura, hæcce spes ejusdem firmissima cum sit Religio vera ij), non est Religio cum Moralitate confundenda. Cum nempe sit hæc, tamquam existens, in studio unitatem illam subjectivam sive malum originarium tollendi & legi convenienter semper vivendi, atque ita in actione consistat & pugna: illa e contrario in quiete est & contemplatione s), seu sensu contemplationi coniuncto; ipsa enim

- x) Veram hancce Religionis notionem a moralitatis illa diversam, primus inter recentiores e datis Rationis vulgaris (*sens commun*) analysi elicuit atque disertius quam subtilius proposuit Rev. SCHLEYERMACHER (*Reden über die Religion*, ubi totus consulatur sermo secundus. Enucleavit eandem deinde Vir, acri distinguendi arte non minus, quam eximio distincta conjungendi ingenio, conspicuus, cujus scriptis valde multum hac in re debemus, CEL. GRUBBE Vid *Dissertationem De harmonia Religionis & moralitatis*, Upsaliæ 1809 editam; æque ac: *Om förhållandet mellan Religion och Moralitet*; Upsala 1812). Qui vero alii rei insigni operam impenderint felicem cum nesciamus; ad hos ambos Lectorem, qui uberiorem hac in re desideret lucem, quemque delegamus.
- s) Observandum heic nobis esse putamus, quo distinctior fiat sententia nostra, eundem quidem scopum habere, et in eodem versari & Religionis & scientiæ contemplationem, sed a se tamen invicem differre. Uno enim obtutu quasi habet oculus Religionis, quod pedetentim atque articulatim exponere sibi sumat reflexio scientiæ; unde etiam illa initium & finis dicitur scientiarum. Ambabus vero his continetur Poësis, quod ad elementum ejus attinet ideale, quasi earum

contemplatio necessaria est, quo existat sensus religiosus. Neque vero Religio sine moralitate adesse potest vera, nequæ hæc sine illa; quin potius est Religio sine Moralitate mortuum quoddam & mysticismus, immo etiam nihilismus, Moralitas vero sine Religione superbia & egoismus subtilissimus; qui ita locum habet, si legi eo solummodo ex capite obtemperet quis, quod propria ejus est lex, & quo suus sit sibi, id quod probaret Atheismum non procul abesse. Hanc enim legem, ut omnia, quæcumque occurrant, tamquam Dei manifestationem habet, qui Religione gaudet; neque tamen ita, ut ex nutu quasi profecta sit moroso; sed sic, ut ad Dei pertineat revelationes necessarias.

conciliatrix atque mediatrix gratissima; quare antequam a se invicem abierunt Religio & Scientia in poësi continentur ambae Orientali,